

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA.

---



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HUGO McCORMICK,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

vii. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

---

---

“ ———— *Rubrâ suffusus lumina flammâ.*”

OVID.


---

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

1804.



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

VIRO AMICISSIMO,  
JACOBO HAMILTON, M. D.

OBSTETRICII

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI ;

COLLEG. REG. MEDICOR. EDIN.

SOCIO ;

OB PRÆCEPTA,

CUM PUBLICA TUM PRIVATA,

ITEMQUE

AMICITIAM IN EUM BENIGNISSIME COLLATAM ;

HANC DISPUTATIONEM,

PERTENUE GRATI ANIMI

PIGNUS

D. D. DQUE

ALUMNUS

HUGO McCORMICK.



VIRO OPTIMO

MAINE WALROND, M. D.

EX INSULA *SANCTÆ CRUCIS*;

NON SOLUM

BENIGNA INGENII VENA

PRÆDITO,

ET

SCIENTIA LITERISQUE HUMANIORIBUS

IMBUTO,

SED ETIAM

BONA INDOLE, PROBITATE, ET MORUM COMITATE

ORNATO;

HOC

OBSERVANTIÆ ET SINCERÆ AMICITIÆ

PEREXIGUUM TESTIMONIUM,

EX ANIMO,

OFFERT

HUGO M<sup>c</sup>CORMICK.





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA.



**E**X omnibus malis, quibus obnoxium est corpus humanum, nullum aliud, forsan, magis quàm Ophthalmia, medicorum attentionem, jure sibi vindicat; tam propter frequentiam ejus, quàm ob organi laborantis eximiam utilitatem.

A CULLENO, sic definitur: “ Rubor et dolor oculi, lucis intolerantia, plerumque cum lacrymatione.”

Morbus hic, vel *idiopathicus*, vel *symptomaticus* sit.



### HISTORIA MORBI.

OPHTHALMIA, pyrexiâ generali rarò stipatur, sed plerumque affectus localis est. Ejus primum indicium, ferè caloris sensus est; simul cum molestia, eam referente, quam, in oculum, recepta mica pulveris facit. Tunicæ adnatæ, membranarumque subjacentium, vasa, quæ antea pellucida erant, rubra turgidaque evadunt. Inflammationis sedes, nonnunquam, in conjunctiva, solummodò est; haud rarò autem, sclerotica, omnesque tunicæ interiores, etiam afficiuntur.

In nonnullis exemplis, plurimùm tumet conjunctiva, tumque malum, quod comitatur

dolor

dolor intensus, *Chemosis* appellatur. Dolor, utcunque, pro rata parte, quod ad inflammationis gradum, plùs vel minùs, rarò metitur; etenim, in casibus quibusdam, quibus, inflammatio lenis apparet, dolor nihilominùs maximus urget: hoc præcipuè obtinet, quando oculus dolens luci objicitur, quæ, tunc temporis, stimulorum periculosissimus invenitur.

Ophthalmiæ indicium commune est, hæc lucis intolerantia, quam lacrymarum fluxus inordinatus ferè comitatur; etsi exempla plurima sunt, quibus, a principio, oculus aridus manet. In aliis casibus, quibus inflammatio maxima apparet, doloris parum aut nullus adest, luce etiam admissâ. Lucis accessio, non unica doloris causa est; ægri angoribus nonnunquam valdè intensus, quamvis lux exclusâ sit, dolore, ab oculo, ad posteriorem partem capitis, lancinante, atque inflammationis gradum pertimescendum, semper indicante.

In plerisque casibus, super partem exteriorē oculi, morbus primò sese ostendit, altiùs, altiùsque descendens; nonnunquam verò ab partibus profundioribus, ad oculi superficiem, extendere observatus fuit. Ægri nonnulli, sese continuò videre atomos nigros, ob pupillam moventes, opinantur, quod indicium supervenire sæpè observatur, vehementioribus lenitis, et haud rarò, guttam serenam præcedit.

*Suppuratione* rarò, vix unquam *gangrenâ*, terminatur Ophthalmia. *Resolutione*, sæpissimè finitur, quam, oculi partium quarundam caligo, haud rarò comitatur; præcipuè verò, corneæ, propter effusionem, inter laminae ejus, ibique, maculam albam producentem: vel, squamæ species, aut protuberantiæ in superficiem ejus interiorem aut exteriorē nonnunquam innascitur.

Aliquando etiam accidit, ut iris quæ inter inflammationem gravem, sese contraxerat; in hoc situ, inflammatione etiam amotâ, remaneat,

maneat, propter materiem in ejus superficiem posteriorem effusam, cui jam inspissatæ arcûe adhæret: exemplum cujus, MONRO TERTIO, inter artem medicinam exercendam, sese obtulit.

Per resolutionem, terminatio, quavis evacuatione criticâ, rarò comitatur; lenis diaphoresis, nonnunquam supervenire observatur. Ophthalmia, haud sæpè, periclitatur vita, præterquam, in quibusdam exemplis gravioribus, in quibus ad cerebrum pervaserit inflammatio.

In Ophthalmia *idiopathica*, sæpè ita afficiuntur visûs organa, ut sanari recusent; in felicissimo etiam exemplo, terminationis per resolutionem, tantùm infirmantur vasa ut, ab causa vel levissima, inflammatio denuò reduci possit. Multò difficiliùs curatu est, hæc species ophthalmiæ chronicæ, quàm inflammatio acuta. In corporibus strumosis, præcipuè obtinet, et sæpè, post intervalla metita, recurrere observatur.

CAUSÆ.

---

  
CAUSÆ.

OCULIS, inflammationem, variæ causæ inducunt. Quicquid ad producendam inflammationem cæteris partibus idoneum sit, eandem inducet, oculis admotum. Sed hujus organi fabrica singularis, admodum proclivem reddit, ut, causis afficiatur, quæ reliquo corporis, sine injuria, admoveri possunt. Hinc qui inter fumum, plurimum versantur, oculorum inflammationibus, sæpè plectuntur; haud secus ac illi, qui, luci vividæ, præcipuè solis radiis, viribus ignis, aut nivis actioni, exponuntur.

Ictus, oculis illati, virium ratione, quibus impinguntur, inflammationis gradus diversos inducere possunt; si leves sint, effectus ut plurimum citò evanescent; sin autem violentiores sint, cæcitas insanabilis haud rarò supervenit.

Contusiones,

Contusiones, vulnera, puncturæque, effectibus haud minùs periculosis, comitantur.

Haud rarò accidit, ut, sub tunica conjunctiva, sanguinis extravasatio, propter ictus, puncturas, et parva vulnera, oculo illata, obtineat; tantum sanguinis, ex vasis, hoc modo, nonnunquam effusum est, quantum ad conjunctivam elevandam, supra corneæ planum, sufficit, haud secùs ac in chemosi; aliàsque autem, quantitas tam parca est, ut, non aliter visibilis sit, nisi, ex minima rubedine, circa vas, unde effusa fuerit.

Similes effusiones, nullâ extimâ injuriâ acceptâ, etiam accidere possint. Tussis violenta, vel dyspnœa, congestionem in capite producendo, eam nonnunquam inducunt. Quacunque autem ex causa, oriatur, intima vel extima, si nullam aliam injuriam oculus passus fuerit, dolore nullo, extravasatio comitatur, et rarissimè læditur visus.

Marginum palpebrarum inversio, scriptoribus *trichiasis* dicta, ophthalmiam nonnunquam, etsi rarè, facit. Hæc, propter pilorum, ex marginibus ciliaribus, enascentium, frictionem continuam in oculum, ita eum irritat, ut inflammationem inducat, quæ, non nisi causa citò amota fuerit, augebit ingravescetque. Inversio talis, occurrat aliquando, ex oculi globo, præter solitum, post inflammationem, extenuato, palpebris inde fulcimento suo, orbatis; quod accidisse MONRO TERTIUS videbat.

In quibusdam etiam exemplis, series pilorum præternaturalis excrevit, qui, frictione, sine ulla palpebræ inversione, ut in exemplo suprà memorato, inflammationem gravem excitaverunt.

Corpora extranea, in oculo inhærentia, hoc malum sæpè accendunt. Quamdiu hæc inhærent, maximum dolorem faciunt, atque immobiles palpebras reddunt. Promovent etiam, lacrymarum secretionem auctam, quarum flux-



us, ad ea removenda, plerumque sufficit. Morbus hic, non solùm, ex corporibus extraneis in oculos acceptis, sed ex cujuscunque generis tumoribus, in vel propè palpebrarum margines, incidentibus oriatur: Hi in oculum premendo, irritationem continuam cient, quæ nequaquam amovenda est, nisi tumoribus amotis.

Quodcunque sanguinis impetum caput versus intendit, vel reditui ejus, a capite obstat, oculorum inflammationem inducat. Sanguinis determinatio, versus caput, aucta, inter effectus perniciosos frequentissimos, ab liquorum spirituosorum abusu, provenientes, est unus.

Idcirco, hoc malum illorum abusum nonnunquam excipit. Ligamentum arctum circa collum, reditui sanguinis occurrendo alia causa est; uti et exercitatio oculorum nimia, in rebus minutis perscrutandis. Propter eruptiones capitis, vel faciei, subitò repulsas, haud

B

infrequenter

infrequenter supervenire hic morbus observatur.

Ophthalmia, haud secùs ac pleræque aliæ inflammationes, ex frigoris applicatione, præcipuè cum calore, humiditate conjuncto, alternantis, sæpè originem ducit. Ipsi oculo, frigus applicatum, in proclivibus Ophthalmiam sæpè excitat; frequentiùs utcunque, hunc effectum producit, corpori universo, præcipuèque extremitatibus, admotum. Hinc sub cælo frigido, humido, et mutabili, frequens est morbus.

Ophthalmiæ exempla, ex ventriculi et intestinorum irritationibus, veluti ex vermibus et hypercatharsi, superinducta, meminet TRNKA: uti et nonnulla, ex mensibus suppressis\*.

Mali

---

\* Vid. TRNKA, Histor. Ophth. p. 39. 51. 59.

Mali hujus causæ frequentes sunt, variolæ et morbilli; in illis, sæpè tumet facies, oculi rubidi fiunt, et materie glutinosâ, quæ marginibus earum insidet, arctè agglutinatæ palpebræ, aliquamdiu occluduntur; eodem tempore, inter palpebras, et oculi globum, humor spissus, cogitur, qui, ad irritandam inflammandam, et nonnunquam, ad ulcerandam corneam, potis est. In his nunquam non afficiuntur oculi, lacrymæque, quæ copiosissimè, excernuntur, caloris et doloris sensu molestissimo, ægrum torquent. Alterutra causarum, jam recensitarum, inductâ Ophthalmiâ, curatu admodum difficilis tardaue est, in corporibus strumosis.

Syphilitidem etiam utpote corpus universum afficientem, nonnunquam, rarò autem, pro causa agnoscit hic morbus; qui sic inductus, inter noctem ingravescit, ut monet TRNKKA, et cum diluculo remittit\*.

Aliquando,

---

\* Vid. TRNKKA, Histor. Ophth. pag. 25.

Aliquando, cum gonorrhœa alternare videtur Ophthalmia ; sed utrum metastisi, an materiei ad oculum rectâ applicatione, producat hęc affectio alternans, adhuc haud benè compertum est.

Oculorum inflammatio, inter plurimos effectum morbidorum, qui a temperamento strumoso pendent, meritò enumerare potest ; et nunquam non habitus labem virulentam indicat.

An contagiosa sit Ophthalmia, necne, inter medicos non benè convenit ; ex contagio autem, etiam originem ducere, hoc malum, pro certo accipimus : cujus exemplum a Doctore ARMSTRONG, memoriæ proditur, in dissertatione sua inaugurali, ubi tres nautas, ex navi, servos Africanos vehenti, in navem longam transcendere, coactos meminit : quorum unusquisque æquè ac socii relictæ, tunc temporis, Ophthalmiâ laborabant. Intra paucos dies, hi tres, ita contagium disseminaverunt, ut ex navis longæ sociis, viginti quatuor, Ophthalmiâ

miâ gravi correpti fuerint ; neque priùs sese latiùs diffundere cessavit contagium, quàm commercium omne, sanos inter et ægros strenuè interdictum fuisset\*.

In mense Martii, proximè præteriti, MONRO TERTIO innotuit Ophthalmiæ contagiosæ exemplum, quod in sinu *Leith* sese ostendit, in navi *Glatton* dicta, omnes cujus socii navales, hoc malo correpti, graviter laborabant.

PRO-

---

\* Vid. ARMSTRONG, Tentamen Prophyl. Inaug. *De tuenda Nautarum Sanitate*, pag. 12. EDIN. ann. 1789.

~~~~~  
P R O G N O S I S.

INFLAMMATIO oculorum nulla omninò periculi expers dici potest : maximè pertimescendum est utcunque, ne ita mutetur, organî hujus delicatissimi, fabrica, ut radios lucis ad retinam, non transmittat, vel lucis actionis, retina ipsa insensilis fiat. Si retina, aliæque partes profundiores, inflammatione intensâ diuturnâque afficiantur, visus in discrimine maximo versatur. Lucis intolerantiâ, pupillæ contractione, capitis dolore, floccis ante oculos volitantibus, partiumque ariditate, violentia morbi, dijudicanda est.

In nullo Ophthalmiæ exemplo, citiùs disperditur visus, quàm in eo gonorrhœâ inducto.

Siquando

Si quando globi suppurationem superveniat, de visu actum est.

Resolutionem accessuram speremus, si inflammatio lenis sit, partes externas solummodo afficiens, cum fluxu lacrymarum copioso, tunicis et humoribus, eodem tempore, pelluciditatem suam retinentibus.

METHO-

---

**METHODUS MEDENDI.**

IN Ophthalmia curanda, causarum excitantium amotio, nostram attentionem præcipuam, summo jure, sibi vindicat. Inter Ophthalmiæ causas frequentissimas, quæ post morbum inceptum, admoventur, sunt *lux et calor*. Propter commoda manifesta, lucis absentia, ægris derivata, ad eandem excludendam, inventa plurima excogitata sunt; quorum nonnulla, calorem augendo, obesse potiùs quàm prodesse, inveniuntur.

Lux excludenda est, ita ut, eodem tempore, non excludatur aër frigidulus, quod solummodò fieri potest, ægrum includendo in cubiculo tenebricoso. Si fasciis vel umbraculâ oculus dolens obtegatur, præter calorem auctum, organis visus, nunquam non perniciosum, superadditur



superadditur etiam, propter consensum, qui, utrisque intercedit, irritatio continua; ex hujus proclivitate, ad alterius adhuc sani, suscipiendos motus.

Remedia diversa, quibus, inflammationi occurritur, utenda sunt. Si (ut aliquando fit) febris insignis, ophthalmiam comitatur, vel si pleno habitu sit æger, quod in exemplis quibusdam observatur, ante omnia, (rebus ita sese habentibus), ad sanguinis e brachio missionem, confugiendum est. Si nihilominus, adhuc perstent inflammatoria indicia, sanguis denuò, toties, et in tanta copia, mittendus est, quoties, et quantam, symptomata, et ægri vires postulent; quod, ex rebus unicuique ægro pertinentibus, solummodò internosci poterit.

Rarò utcunque, in hoc morbo, sanguinis missione generali opus est; e contra, sæpè nocet, ob debilitatem, quæ, ferè semper, ophthalmiam comitatur, et nonnunquam, mor-

bum redintegrat. Larga autem, et repetita sanguinis detractio localis, cum maximo fructu, usurpatur, et primò ante omnia tentanda est.

Arteriam temporalem, incidendo, hoc propositum optimè effici, multi putant. Arteriæ proximitas ad morbi sedem, præcipuè desiderandum (ut ipsi opinantur) facit, sanguinem ab ea detrahi. Hic modus, sanguinis mittendi, utcunque, multis incommodis, scattet. Imprimis, ægrum plurimùm perterrefacit; nonnunquam solummodò reperiuntur ramuli, quibus sectis, tantillum sanguinis effluit, ut parum vel nihil auxilii, exinde fruatur æger. Aliquando etiam, sanguinis fluxus, ægerrimè supprimitur, et revera, in quibusdam exemplis, eo usque processit, ut plurimis etiam horis elapsis, post operationem peractam, ægri vitam, in maximum discrimen, perduxerit.

Propter

Propter causas, suprâ recensitas, sanguinis detractio, per cucurbitulas cruentas, missioni ejus, ex secta arteria temporali, longè præstare videtur, utpote, omnia hujus commoda, exhibens, omnibusque incommodis expers. Ex ramulis plurimis, tam arteriarum, quàm venarum, circa tempora, promiscuè sectis, tantum sanguinis, quantum libet, elicere possumus; quâ ratione, vasa partis tantoperè deplentur, ut, eorum relaxatione, auxilium magnum, et subitaneum, ægro impertiri reperiatur.

Sanguis etiam per hirudines, ad tempora aut circa oculum admotas, elici potest. Multi quidem de noxis, ex earum applicatione, proximè circa oculum, provenientiibus, conquesti sunt: Secundum eorum sententiam, si palpebris admoveantur, ecchymosin facere poterint. Sed hoc rarò obtinet; et si etiam obtineret, sanguis citò absorberetur, nullo vestigio relicto. Etiam affirmatum fuit, partem cui admotæ sunt, in nonnullis exemplis, in tantum intumescere, ut oculum occludat, et  
malum

malum augeat. Sed inter eos, quibus, illas admovi, ne unum quidem videbam, qui, ex earum usu, minimum incommodi perceperat; et mihi persuasum est, quò propiùs oculo admoveantur, eò potentiores erunt. Multas earum simul admovere oportet, ut sanguinis jactura, quàm subitanea sit. Postquam deciderunt, oculus, aquâ calidâ, quo liberius profluat sanguis, foveatur.

Vasa sanguinem vehentia, quæ in ea parte conjunctivæ quâ palpebrarum partes interiores investiuntur, sese ostendunt, iis apparentibus, in ea quæ globum oculi obducit, multò numerosiora sunt: ergo in ophthalmia semper accidit, ut in partibus palpebrarum interioribus, inflammatio maxima obtineat, vasis earum sæpè non modò quod ad numerum auctis, sed etiam admodum turgidis factis, et nonnunquam universâ palpebrarum parte interiore, præcipuè inferioris, eo usque tumefactâ, uti continuò evertatur. In utrisque ex-

emplis

emplis, scarificatio per lanceolam, plurimùm contulit, haud parum sanguinis emittendo.

Palpebræ superioris œdemate, aliquando stipatur ophthalmia, ex quo, tanta partis crassities adest, ut, eam sursum movere, æger non possit ; ideoque quamdiu res ita sese habent, tamdiu de statu oculi, nihil pro comperto habere possumus. In hujusmodi exemplis, puncturæ nonnullæ, externè, juxta palpebrarum margines, cum lanceola factæ, lymphæ sanguinolentæ exitum promovebunt, quod multùm, et sæpè e vestigio, molem earum imminuet, et remediorum applicationem idoneorum, ad oculum ipsum, multò efficaciorum reddet, quàm ante hoc peractum, fieri potuisset.

Denuò palpebris eversis, admodum tumefactis, si ex singulis earum portiuncula, per forficem exsecta fuerit, magnum et subitaneum auxilium inde adfertur ægro ; palpebrarum mole, propter sanguinis jacturam, huic succedentem,

succedentem, plurimùm minutâ, statim ferè ad situm solitum reducuntur.

*Alvi purgatio*, ex HIPPOCRATIS temporibus, ad præsens usque, in usu apud medicos fuit; sed propter causas suprâ dictas, quod ad sanguinis missionem generalem, purgationes multò minùs prosunt in ophthalmia, quàm nocent exinanitio et debilitas iis superinductæ. Si fæcibus implentur intestina, ex consensu, qui ea inter et oculos intercedit, ii ut graviter stimulentur, æquè ac universum corpus, necesse est; ideòque ad hunc stimulum amovendum, una vel altera evacuatio, per leniter laxantia, indies indicatur. Hinc ophthalmia, quæ, ex fæcum mucosarum retentione, aliquando in infantibus, oritur, omninò insana-bilis est, donec post primas vias, tali irritatione, liberatas, quod non nisi purgatione fieri poterit. Pro hoc consilio, optimum remedium, calomelanos est, scilicet, quod non solùm alvum exoneraverit, sed vermes etiam,

si

si aliqui adsint, eodem tempore forsitan expulerit.

Utcunque verò, inter hujus, vel medicamentorum similium, exhibitionem, in animo semper tenendum est, finem præcipuam esse, non ut debilitetur corpus, sed ut expellantur congestiones morbidæ stomachi et intestinorum ; jusculum nutriens idcirco, ægris dum evacuentur, liberè exhibendum est.

*Epispastica*, quomodocunque operentur, plurimum auxilii præbere reperientur. Inter scriptores medicos, diu et multùm disceptatum fuit, cui præcipuæ parti, hæc applicare oporteret ; sed quò citiùs, post peractam sanguinis detractionem localem, et quò propiùs, oculo dolenti, eò majorem fructum ex iis proventurum esse arbitramur.

*Setacea* plurimùm aliquando celebrantur in collum inserta. Admodum profuturum esse, existimans, quàm maximè prope inflammationis

nis

nis sedem, fonticulos habere, in aurium lobis, eos aperiendos, censuit MACBRIDE, quos sic sitos, multò potentiores, in ophthalmia, quibusvis aliis, se prospexisse ait\*. In exemplis verò, quibus auxilio præsentaneo opus sit, parùm prodesse possunt, nimirùm qui, donec post aliquot elapsos dies, evacuationem nullam effecerint; prætereà, quod ægro admodum molesti fuerint.

Quando in junioribus, capitis eruptiones, ophthalmiam, vel comitantur vel præcedunt, (quod haud infrequenter occurrit), caput sæpiùs abradare, atque aquâ saponaceâ abluere, posteàque, pileolum sericum, oleo imbutum, et calefactum, ei imponere, plurimùm conducet.

*Diaphoresis* totum corpus pervadens, et sine magno temperiei incremento, vel medicamentorum stimulantium usu, excitata, nunquam  
non

---

\* Vid. MACBRIDE, *Pract. Phys.* p. 425.



non salutaris est ; et si ex frigore, vel quibusvis aliis causis, transpirationem per cutem impredientibus, hic morbus originem duxerit, præcipuè indicatur.

*Emetica* ad ventriculum exonerandum, contentis morbidis, præscripta fuêre ; sed propterea quòd ea, ad caput sanguinis impetum promovent, cum majori fructu laxantibus lenibus uti liceat.

*Errhina*, propter rationem jam dictam quod ad emetica, dubium, imò, in multis exemplis, periculosum remedium, judicamus.

*Opio* sub variis formis, varii usi sunt medici ; nonnulli solutionem ejus aquosam laudant, alii in alcohole diluto. WARE tincturam thebaicam, Pharmacopœiæ Londinensis, extollit ; quod medicamentum, ex opiatis, et aromatis, vino montano solutis, componitur : Ille, periculis repetitis, se invenisse ait, neutrum per se, auxilii tantum præbuisse, quantum sub forma

D

tincturæ

tincturæ conjuncta, nunquam non tulerunt\*. Quanquam hæc tinctura, in omni ophthalmiæ stadio, plurimùm valere dicitur; nihilominùs magis indicari videtur, quando, violentia morbi, aliqua ex parte, decesserit.

Opium etiam, internè sumptum, haud parum fructûs præbet. Oculi irritatio, ex motu, propter aliquot horarum quietem, haustu anodyno, inductam, plurimùm levatur.

*Alcohol* dilutum, cum vel sine camphora, magno cum fructu, usurpatum fuit. Utriusque proportionem justas, non nostrum est præscribere, hæ quoniam ex oculi sensilitate pendebunt. Ad aquæ unciam, alcoholis drachmæ duæ, ferè sufficient; multò fortiorrem mixturam verò, plurimi tolerare poterint: reminiscendum est, utcunque, plurimùm interesse, ut mixturæ insint vires justæ; si do-  
lorem

---

\* Vid. WARE, *Remarks on the Ophthalmia*, edit. tert., pag. 46.—51.

lorem intensum ciet, tantùm aberit a minuendo, ut inflammationem auxerit: Si, e contra, parùm fortis fuerit, effectus leves atque fugaces dabit; nullum ferè auxilium, ex ejus usu, ægro proveniet; et medici spes quod ad doloris cessationem et signorum levamen, vanæ erunt.

Mixtura parata, cui, tantum alcoholis inesse oportet, quantum facilè, oculus dolens tolerare poterit, in positura horizontali, ægro decumbendum est; saltem ita locandus est, ut liquor, ad angulum interiorem oculi infusus, denuò non effluat, et per genam decurrat, sed gradatim inter palpebras et globum interfluat: hâc ratione suffundetur oculus, lôtioque, ad tempora obrepens, linteolâ absorbeatur.

Magni irritamenti, in causa est, palpebrarum separatio, per assidentis digitos, inter applicationem, ergo, pro re nata, suo ipsius molimine, aperire oculum æger debet. Lotionis adhibendæ, hunc modum, per aliquod tempus  
continuari

continuari oportet, attentione habitâ, ut ad angulum internum, octo vel decem guttæ, semper paratæ sint, ad influendum in oculum, cum omni palpebrarum motu: hâc ratione, mixtura, oculum non destituet, donec post dolorem, qui, applicatione primâ sentitur, in caloris sensum versum, quod intra decimam horæ plerumque superveniet; præcipuè post repetitas ejus applicationes.

*Aquæ leniter astringentes*, quales rosarum, medicamentis fortioribus, bonum vehiculum præbent; et si rosarum impregnatio, parvi sit momenti, innuit saltem, aquam destillatam fuisse, quod in metallicis adhibendis nonnihil prosit.

Inter præparata ex vegetabilibus, *acētum cum aqua dilutum*, haud minimè efficax est in hoc malo.

*Nicotiana* etiam, a NOBLE præcipuè, multùm laudatur: Ille sub forma tincturæ for-

tis eam adhibet, affirmatque, ita præparatam, plurimùm posse, in cephalalgiis, hunc morbum comitantibus, sanandis \*.

Præparata, ex regno minerali, forsitan, haud minùs efficacia sunt, quàm e vegetabili, jam dicta. Quæ sub formam solutionis, sæpiùs adhibentur, sunt, *urias hydrargyri, acetis plumbi*, atque *zinci et cupri sulphata*; nonnunquam etiam utitur *sulphas aluminæ*.

Multùm aliquando nocet, præparatio, quæ ex metallicis, plus justo, continet; præcipuè sub initium mali. Ab uno, ad tria grana, alicujus præparationum, quas jam memoravimus, in unciis fluidi singulis, pro periculo primo, optima quantitas esse videtur.

Quod ad temperiem justam, lotionum pro oculis, vel ut dicuntur *collyriorum*, inter medicos non benè convenit. Nonnulli tepidas esse

---

\* Vid. NOBLE, *Treatise on Ophthalmia*, p. 209.

esse applicandas, censent. Plurimi frigidis utuntur. Quando symptomata non urgent, collyria frigida, optima esse videntur. Sin autem, gravis sit inflammatio, applicationes frigidæ, proclivitatem ad gangrænam, augeant, vel etiam inducant\*.

Medicamenta supradiçta aliquando, alias sub formas utuntur. Sæpè unguentis necesse est, uti, quibus tarsorum agglutinationi præveniatur, et partes inflammatae, contra exudationem illam acrem, quæ ophthalmiam, præcipuè tarsi, haud rarò comitatur, defendantur.

Unguenta hæc, si cum altero medicamentorum præcedentium impregnentur, duplici proposito inservient. Ex metallicis præparata, imprimis, haud infrequenter sub hac forma usurpantur. Ex *hydrargyro* autem haud immeritò, cæteris anteponuntur. Admodum  
efficacia

---

\* Vid. WILSON *On Febrile Diseases*, vol. iii. pag. 314.

efficacia sunt, *oxydum rubrum*, cum axungia porcina commixtum, vel *unguentum nitratis hydrargyri*. Forma, quam utendam GREGORIUS monet, ex unguenti nitratis hydrargyri, unguenti simplicis, et olei olivarum, æquis portionibus, constat.

Ad *electricitatem* sæpissimè confugitur; sed (quantum ego pro comperto habeo) nunquam cum fructu diuturno.

Quando propositi compotes facti fuerimus, in ophthalmia sananda plerumque necessarium fit, mediis uti, quibus regressui ejus occurratur; et quoniam videtur, cum habitu infirmato sæpè conjungi, media optima, ejus reditum præveniendi sunt, quæ ad vasa oculi, vel corpus universum, roboranda inserviunt; hisque, nonnunquam etiam sanabitur, ophthalmia chronica, cæteris omnibus remediis frustrà tentatis.

Ex eorum potentissimis est *frigida lavatio*, quæ adhibeatur, vel corpus totum immergendo, vel supra caput, aquam subito affundendo, qui fortassè, ophthalmiæ occurrendi, modus optimus est, quo lavatio frigida adhiberi potest, et haud rarò ad sanandam etiam plurimum confert.

Capitis jam rasi, omni mane cum aqua frigida lavatio, vel ejus, ad oculos ipsos, vel pone aures, applicatio, ad ophthalmiam removendam, postquam chronica facta fuerit, aut saltem ad ejus regressui occurrendum, sæpè conducit.

Eodem consilio, haud rarò, cum fructu, usurpata sunt *cinchona* et *vinum*.

Quod ad varias ophthalmiæ sequelas, utpote ope chirurgicâ potiùs indigentes, non nostrum est, hîc loci, illas tractare.

F I N I S.